Praefatio.

Est vulgo ea praefationum ratio, ut, quod conscripsere opus lectori commendent auctores. Quod eorum solummodo est, aut esse saltem debet, qui se boni quid scripsisse opinentur.

Me vero in hac opinione non versari, ea propter monendum videtur, quoniam, forsitan erunt, qui dissertationis argumento allecti, eam legere cupiant, pleni atque absoluti quid exspectantes. Hi autem, ne frustrentur expectatione, sciant, materiem mihi initio quidem tantopere arrisisse, ut eam pertractandam susciperem, susceptam vero tot tantasque mihi obtulisse difficultates, quas vincere virium tenuitas non posset, ut jam pertractata, me ipsam suscepisse fere doleat. Etsi enim sat longo temporis spatio, dissertationi conscribendae incubuerim, exercitationes tamen clinicae, quibus, vel peracto exami-

ne, interesse summae ducebam utilitatis, et praesertim morbus levior quidem at diuturnior, quo afflictus fui, vetuerunt quominus tantum ei impenderem temporis, quantum voluissem. Accedit quod rerum domesticarum ea sit conditio ut lauream doctoralem ut capiam quam citissime, in votis esse debeat. quibus si jam addas, quae de virium juvenilium tenuitate monita, omnibus fere praemittuntur dissertationibus, quae vero nova, hic praeterea, habebis L. S. quae, nisi Te a dissertationis lectione penitus dissuadeant, tamen expectationi Tuae modum imponant et benevolentiam Tuam, ut spero, augeant.

Missis de dissertatione, quam invitus ac lege coactus conscripsi, praemonitis, quae durante vita academica jucunda mihi acciderunt, grato animo recordari multum habet voluptatis.

Quam vitam ut inire mihi licuerit, Tuae debeo, doctissime, amicissime Krämer, institutioni; Tu praeterea, quod haud minoris pretii habeo, studiorum amorem continuo aluisti, atque ne difficultatibus, quas secum Musarum cultus habere solet, deterrerer effecisti.

Accipias pro iis cunctis sinceras gratias

meas, et eorum, quae in me collocasti humanitatis Tuae testimonia, scias, nunquam me fore immemorem.

Vobis autem, Facultatis Philos. Nat. et Discip. Mathem. Antecessores, pro egregia Vestra institutione animum testor gratissimum. Inter quos Tui inprimis, Cl. Kaiser, cujus privata institutione et jucunda domestica uti familiaritate mihi licuit, gratam memoriam semper mihi cordi futuram esse testor.

Nec minus mihi, Cl. J. v. d. Hoeven, silentio praetereundum, quantum ex Tuis exercitationibus physiologicis privatis perceperim utilitatis et gaudii, quorum et eximiae Tuae benevolentiae, semper grata mihi inhaerebit animi recordatio.

Vos tandem Facultatis medicae Professores, Viri Clarissimi, ob summa in me merita, debitum grati animi testimonium ut accipiatis, enixe rogo.

Tibi inprimis, Promotor Aestumatissime, Cl. C. Pruys van der Hoeven, qui non solum postremo tempore, in dissertatione conscribenda, mihi non defuisti; verum etiam per omne quod medicinae studiis dedi tem-

pus, peculiarem erga me ostendisti humanitatem, me multum debere nunc publice testari posse gaudeo, neque credas me, Academia relicta, horum unquam oblivionem capturum esse.

Vos denique vitae Academicae Sodales Amicissimi valete omnes! Vos in primis, quibuscum magis intima familiaritate junctum esse mihi contigit, ne dulce amicitiae vinculum unquam relaxari sinatis etiam atque etiam rogo.